Universitätsbibliothek Paderborn

Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 150. Cœperunt autem illum accusare. v. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Visual Library

quam ultra progredi; ne quid crudelitatis & ſævitiæ in religionem eorum committeret. Quod autem homo maximè tum moderationis tum juſtitiæ fuerit, per paſſionis intervalla ſatis ſuperque conſtabit. Nam etſi homines magis quam Deum timuerit; ideoque ne odia eorum ſuſcitaret in ſe & vitæ pericula ſubiret, injuſtam adverſus Chriſtum ſententiam tulerit; attamen virtutes benigniſſimi Ieſu ſæpè & eſt admiratus ipſe, & prædicavit, & curari intendit. Legitur ſane quod de miraculis per Chriſtum editis, de ſuſcepta patienter cruce, de pronunciata die tertio reſurrectione, multa ad Imperatorem Tiberium ſcripſit: poſtquam autem annis decem Iudæorum provinceam adminiſtravit; tandem in multis accuſatus Romam repetivit: ubi ſe videns multis calamitatibus oppreſſum, cupiens mortis celeritate graviora effugere tormenta ſe propria manu interfecit. Atque iſte fuit finis & exitus hujus præſidis.

PRotector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, non incidamus in tales anguſtias, in quales devenit iſte miſer, foris felix apparens, Pilatus.

§. 150. *Cœperunt autem illum accuſare. v. 2.*

Præſentantes autem Ieſum Iudæi conſpectui Pilati prædicti, manibus ligatis & catena ferrea, in collo poſita (in cujus typum ſacerdotes modo collo apponunt ſtolam: uti moris erat, quoties quis ab Eccleſiaſtico tribunali, deducebatur ad ſæculare) accuſare cœperunt illum de tribus maxime criminibus, 1. quod peccaſſet graviter contra populum. 2. gravius contra Cæſarem. 3. graviſſimè contra Deum. Sed quomodo illa probabant? poſtea videbimus; nullo. O quoties idem adhuc fit hodie apud homines, ut noceant proximo excogitant & proloquuntur, quæ probare non poſſunt; non conſiderantes quod obligentur ad reſtitutionem honoris ablati, ſi volumus ut dimittatur peccatum: ego hic me merito pudore & verecundia ſuffundor, qui fortè in ſimilibus reum me deprehendo.

IGnoſce ô Deus, ignoſce Deus; conſtringe bone Ieſu, conſtringe cor meum vinculis & tui, & proximi amoris, ut nunquam verbum loquar, vel contra proximum agitatus, ut Iudæi iſti invidiæ vel odii ſtimulis

§. 151. *dicentes: hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. v. 2.*

Cum in genere eum accuſare non ſufficeret apud Præſidem prudentem, uti oſtendi, bene & merito venerunt ad particularia omnia, quæ Deú, religionem & ſtatum vel publicam pacem & tranquillitatem concernerent,

dice-